



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De sentent. excommunicat. Consilium DC.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

cum corrigendo percutit; quasi scilicet res male composita sic adhibita personæ laicæ, quæ ne minus quidem Ecclesiasticæ personæ admovere debet. Unde à contrario sensu constituendum est, Ecclesiasticas personas minores etiam in scandalo existentes, ab Ecclesiasticis senioribus, ius aliquod superioritatis ex sanguine, familiâ, aut dignitate habentibus, corrigi ac reprehendi posse, etiam verbis, si circumstantiæ accedant; non quidem quasi fustigationibus aut verberibus ordinariè, ut minores, subijci possint, sed verbalibus admonitionibus & reprehensionibus; in quibus si irritante admonito (ut hic evenit) res ad verbera veniat, æquo animo ferendum sit. * Quocumque enim casu permixta est correctio ac emendatio, etiam si modus aliquo modo excedatur, non incurritur excommunicatio; quia scilicet vincente zelo dolus abest, *Anton. & Panorm. in d. c. Cum voluntate in fine*, sine quo hæc excommunicationis poena non incurritur. * Unde cum hic Sacerdos à verbali monitione ac reprehensione; calore iracundiæ propter obduratam admoniti pervicaciam & contradictionem, leviter ad verbera transiverit, nihil est, cur excommunicationis poena ei infligatur; & sic dici non debet postea celebrando incidisse in irregularitatem, in quam incidisse quemquam in dubio dicendum non est, *Innoc. in d. c. Ad audientiam, Hostien. & Innoc. in c. Significasti De homicid. cum levissimula est læsio, & ex læsione mors insequuta non est, d. c. Ad Audientiam à contrario sensu*. Simplicis itaq; ac rectissimi fuit, quod hic Sacerdos de absolutione sollicitus fuerit, cum revera in excommunicationem non incidit, neque Episcopali aut Papali absolutione indigerit. Quamvis enim bonarum mentium sit culpam memere, ac ponere etiam ubi illa non subest; ad iuris tamen effectum si res referatur, magis inspicitur, quid in veritate, quam in opinione sit. Quamobrem hoc solum addimus, quod propter communem omnium opinionem ac consuetudinem in re præsentis absolutione dicto Sacerdoti suffragari multum debeat (posito non tamen concessio, quod verè in excommunicationem incidisset) quia etiam in articulo excommunicationis & irregularitatis, opinio communis ac consuetudo excusat, *Anchar. conf. 283. Iure stricto, Paul. Parisi. conf. 96. Pro lupo nu. 32. vol. 4.*

Neque igitur adeunda est huic Sacerdoti sedes Apostolica; neque ei abstinendum à sacris; multo minus ei abripiendi fructus beneficiorum suorum: ubi enim culpa & delictum non est, ibi nec poena aliqua remanere debet; præsertim quod hic non constat de perfectâ irregularitate, & sic in omnem eventum necessaria esset judicialis cognitio ac declaratoria sententia, antequam clericus fructibus beneficii sui privari, vel spoliari posset, *Felin. in c. De quarta nu. 32. & seq. De præscriptis*. * Ipso iure enim non amittitur beneficium propter irregularitatem, *c. Nisi cum pridem & ibi Ant. de Butrio De renuntiatis. Innoc. inc. Cum nostris De concess. præben. & in c. fin. De cler. excommun. ministrante*; sed deponi debet primum qui in irregularitatem incidit. Vtique adeo ut sint, qui putent interim quam sententia declaratoria sequuta non est, eum qui irregularis dicitur.

Conf. Wamef. Tom. II.

fructus suos facere & sic perceptos postea restituere non debere, ut referi. *Felin. in d. c. De quarta nu. 32.* Ne igitur à spolio initium fiat, relinquendi sunt fructus dicto Sacerdoti, donec accusatus, eius irregularitas declaretur: quod secundum superius dicta ex circumstantiis rei propositæ numquam futurum est.

De sentent. excommunicat.

S V M M A R I V M.

Irregularitatis dispensatio.

1. Absolutio potestas in foro conscientia non extenditur ad forum fori.
2. Absolutio in foro conscientia non sufficit in foro fori.
3. Absolutus in conscientia potest in foro fori accusari.

C O N S I L I V M D C.

C V M aliud sit forum fori (ut aiunt) hoc est judiciale & contentiosum; aliud conscientia seu animæ, quod poli & penitentiale appellatur, *DD. in c. Canonum statuta de constitut. Anchar. in c. Beneficium nu. 8. vers. utrum electus de reg. iuris lib. 6.* * non potest rectè de altero ad alterum fieri productio vel extensio: ut regulariter à separatis & differentibus non rectè ducitur argumentum, *l. fin. de calumniar. l. Neque natales c. De probat.* * Proinde quæ Reverendo Domino Egidio Baverio Societatis I E S V in residentia Gandavensi superiori à sede Apostolica concessa est potestas rehabilitandi ab omni genere irregularitatum, præter eam, quæ per homicidium, bigamiam, mutilationem, aut defectum natalium contracta est in foro conscientia; nullâ ratione extendi vel porrigi potest ad forum contentiosum seu judiciale. * Ut regulariter etiam mandati fines constringi, non dilatari solent: præsertim in iurisdictione quacumque, *c. Cum dilecta de rescriptis. c. Cum dilecta De confirmat. utriusque vel inutili*. Quod exiguum, imò nullam habet in proposito dubitationem: ob id, quod dicta absolutionis & rehabilitationis potestas seu facultas sit concessa sub taxativa particula, in foro conscientia tantum; cuius taxativæ particulæ potestas non tantum constringendæ, sed etiam cuiuscumque alterius fori secludendi seu excludendi habet potestatem, *l. 2. c. De patrib. qui filios suos distrax. l. Ob as c. De prædictis minor. c. Cum Ecclesia Sutrina de causa poss. & propriet.* * Quo fit, ut quemadmodum vigore dictæ sic restrictæ clausulæ non potuit dictus Reverendus Pater Dominum Ioannem Vossium ab irregularitate, quam incurrit quoad forum judiciale, absolvere, aut adversus illam eundem rehabilitare; quia scilicet per litteras Apostolicas id ei concessum non invenitur, *c. Quod autem De penit. & remiss.* ita quoque nec voluisse præsumatur, sed hoc tantum, quod potuit, quoad forum conscientia. Actus enim cuiusque non ex solâ voluntate, sed etiam, & potissimum à potentia dependet & limitatur, *c. Cum super De offic. iud. delegati*. Proinde verius nobis videtur quod hæc, de qua proponitur, absolutio & rehabilitatio

K k k

litatio

litatio præfati D. Ioannis in foro conscientia tantum concessa, non possit ei sufficere ad satisfactionem sententia judicialis, per quam ei factum est præceptum, ut curet se ab irregularitate absolvi & rehabilitari à S. D. N. Papa, aut alio potestatem habente: idè quod verba huius sententia in potiore significato accipiendo (uti oportet, l. i. §. fin. *Quod quisque iuris in alium &c.*) manifestè pro re subjecta referri debeant ad absolutionem & rehabilitationem judicialem seu jurisdictionalem quoad forum iudiciale; & minime ad forum conscientia seu poenitentiale. Vt enim in iudicio per iudicis sententiam declarata erat dicta irregularitas; ita quoque condemnatio ad impetrandam absolutionem & rehabilitationem ab eadem omnino accipienda est illa, quæ in iudicio sufficere possit, & magis publica, quam occulta esse debet; prout forum iudiciale per se magis apertum & de apertis ac manifestis est, *l. i. de poenit. & rem ss.* quæ aperta publicaque satisfactione emendari debent, *c. Quæpiam eod. in foru autem conscientia seu poenitentiale de occultis magis est, d. c. Quæpiam;* & animæ, non corporis, nec burse purgationem respicit. Vt generaliter alio loco sunt & alio iure reguntur manifesta, alio occulta,

can. Exhilibant in fine §. 2. distinã. Vnde etiam est, quod absolutio in foro conscientia, quia magis poenitentialis, & ordinis quæ jurisdictionis est, ad verum & remorsum conscientia tollendum, *Anchar. in d. c. Beneficium nu. 8.* nihil operetur ad tollendam poenam iudicalem: nam absolutus in foro conscientia adhuc accusari & puniri potest in foro iudicali, *Panor. & alij in c. De his De accusat.*

Quamvis igitur hæc quæ profertur, absolutio & rehabilitatio sit iusta & bona in conscientia foro: quo sensu accipio responsum Theologorum quod à Domino Ioanne profertur; in iudicio tamen sufficiens non est ad satisfactionem ad quam per sententiam Domini Officialis condemnatus est. Quod non obscure etiam indicant Iurisperiti ab eodem Domino Ioanne consulti, qui plenam satisfactionem constituunt in hac rehabilitatione non absolute, sed conditionaliter, si modò qui rehabilitavit, à Papâ hanc habeat potestatem: quam expræmissis, & propriâ rehabilitantis confessione constat eum non habere. Quare aliundè à talem potestatem habente obtinenda erit absolutio, & rehabilitatio, quæ in iudicio prodesse possit, & ad solos conscientia fines restricta non sit.

FINIS.



BENEVOLE LECTOR.

EPISTOLAS hæc magnorum atque eruditissimorum Virorum (ne quid editioni huic desit aut pereat) plerasque ad CL. V. STEPHANVM WEYMSIUM in commendationem Operis scriptas, hic in calcem reuicere ac conjungere placuit; ut & Carmina à Viris similiter magnis ac doctissimis conscripta: quamvis aliquo vin vendibili (ut dici solet) hederâ suspensâ opus non sit,

CLL.